



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Diatribai De Primis Veteris Frisiae Apostolis, Sive  
Dissertationes, quibus eoru[m] anni, actus, res,  
personae, loca, tempora in eorundem actis occurrentia,  
discutiuntur, illustrantur, erroresque ab ...**

**Bosschaerts, Willibrord**

**Mechliniae, 1650**

85. De B. Begga Apostolicorum Virorum faultrice & adiultrice.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10958**

DE PRIMIS VETERIS FRISIAE APOSTOLIS  
 tur existimavit eos inde huc transfretasse, cum solum ve-  
 nerint ex Britannia minori quæ est pars Franciæ: pater  
 enim Winoci erat Iudicail Rex Britonum de quo agit Ga-  
 guinus in Historia Francica. Vide Molanum in natali-  
 bus sexta nouembris: Miræum in fastis & Annalibus Bel-  
 gicis ad annum 695. an Winocus fuerit frater Iudoci, vide  
 eundem in Annalibus ad dictum annum.

DISSERTATIO LXXXV.

De B. Begga Apostolicorum Virorum  
 faultrice & adiulrice.



IN calamum quoque nostrum venire  
 conuenit B. Beggã, tũ quod Illustris-  
 simi Principis Pipini Herstalli, cuius  
 auspicijs, autoritate, ope, Frisia ad  
 Christum est promota, genitrix fue-  
 rit: tum quod credibile sit eam Apo-  
 stolicorum Doctorum, vt Amandi, Eli-  
 gij, desideratissimam, S. Willibrordo  
 apud natum plurimum fauoris conciliaffe Frisiæque salu-  
 tem, quantum in ipsa fuit, adiuuiffè; tum quod in actis  
 nostrorum Sanctorum eius memoria nonnumquam oc-  
 currat.

Ortuunda est stemmate nobilissimo pariter & sanctissi-  
 mo, patre S. Pipino Landensi Austrasiæ Principe, in se-  
 rie Brabantia Ducum primo, matre S. Itta alias Iduber-  
 ga. Cognati, affines pœnè omnes nota sanctitatis cele-  
 bres, vt S. Gertrudis soror fundatrix (potius confunda-  
 trix cum Matre) & prima Abbatisa Cœnobij Niuellensis  
 totius Brabantia antiquissimi: Grimoaldus frater, Maior  
 domus

domus sub Sigeberto Austrasiæ Rege, adeoque secundus Brabantia Dux, qui pietati vacans in vasta Ardennensi eremo Stabulaus & Malmundarium Monasteria, quibus B. Remaclus præfuit, construxit: S. Witgerus maritus S. Amelbergæ: S. Adelbertus Episcopus Cameracensis, S. Guda, S. Pharaïdis, S. Renella, S. Hubertus Episcopus Leodiensis pluresque alij, de quibus Ioannes Roberti in factis sacris S. Huberti.

Nuptui data est Begga Ansegiso sanctitate etiam magno, S. Imperij Marchioni, filio S. Arnulphi ex Maiore domus Episcopi Metensis, Fratri S. Clodulphi Duci Mosellaniæ, successori in eodem Episcopatu, auunculo S. Wandregisili fundatoris monasterij Fontanellensis, affini S. Trudonis: quo pari prodijt longa soboles Beatarum mentium, vt Carolomannus Monachus in monte Cassino, S. Itisberga filia Pipini Regis, S. Carolus magnus &c. de qua S. Genealogia pluribus idem Roberti ibidem; vt meritò ei quadret illud Sapientiæ 4. O quam pulchra est casta generatio cum claritate! immortalis est enim memoria illius, quoniam & apud Deum nota est & apud homines. Et illud Pauli: Si radix sancta & rami sancti. In hac illustri profapiâ minime otiosa, minime degener fuit Begga, quin potius tamquam lucidissimum astrum in stellato firmamento splendidis virtutum ornamentis plurimum decoris contulit, pijs operibus tam innupta, quam nupta perpètim insistens. Marito Ansegiso nefariè interempto, se totam Deo consecrat accepto sacro Velamine à S. Amando, vt nonnulli scribunt, qui & matrem Ittam & sororem Gertrudem consecrârat. Monasterium Andanense Canoniarum sub Claustro & disciplinis regularibus fundat, dotatque, vbi per plurimos annos religiosi actionibus vidualem statum exercet & exornat. Tandem

Q q

beata

beata anima meritorum plena, gemmis vernantibus atque coruscantibus decora, terram deserens ad cælestem sponsam euolat. De hac breuiter Stephanus Abbas Eo-diësis ante annos 500. ait Ansegiso V. Beggā felici iunctam matrimonio, generosę sobolis & Nobilissimorum Regum matrē extitisse. Cuius quoque sanctitatis apud nos, inquit, clarent monumenta eo in loco, in quo ex diuina reuelatione septem construxit Ecclesias, vbi & corpus eius à sacerdotibus Virginum choris honoratur, quæ Deo ibidem famulantur. Ibi quoque coniux pijsissimus Ansegisus ab ea conditus est, qui ab alumno suo, quem idem Dux puerum fortè inuentum & de sacro fontè susceptum aluit in filium & exaltauit, crudeliter in venatione peremptus est.

Circa annos interfectionis Ansegisi, consequenter viduitatis Beggæ, foundationis Andennæ, circa annos S. Amandi, à quo Begga velum putatur accepisse, plurimum discrepant Chronici. Quo ad Ansegisum, mihi placet magis censura statuentium eum interemptum anno 685. vt Sigeberti, Harçi, Chronici Brabantix impressi anno 1618. Diuę; eandem indicat Chronicon Francicum.

Fatalis Beggæ in actis eius nuper planâ formâ Brabantico idiomate editis, est annus 692. Sigeberto, Haræo, Baronio est annus 698. quos nos in tabula nostra Chronologica secuti sumus. Vetusta quædam vita S. Beggæ anonyma edita à Iosepho Geldolpho Abbate S. Gertrudis Louanij anno 1631. cap. 7. de obitu Beggæ loquens, ait: *vertebatur eo tempore annus felicissima Incarnationis Domini nostri IESV Christi 709. Clouuo Rege Dagoberti Filio in Francia Occidentali, & Sigeberto in Orientali regnantibus.* Idem habet codex quidam anonymus à 780. circiter annis penna exaratus.

ratus cœnobij Corfendonckani multas SS. vitas complectens. Verùm calculus ille nulla authoritate, aut ratione probatur, & falsus ex adiunctis Regibus conuincitur; ambo enim ante annum 680. communi testimonio desierunt.

Sunt qui scribunt ab hac Begga tamquam institutrice, Begginas nomen suum habere, sed id parum, aut potius nihil probabilitatis habet, inquit Molanus in indiculo Sanctorum Belgij. Quam sententiam libenter semper fui amplexatus, & priuatim rationibus aliquando defendi: & pro ea libellum emisit Petrus Coens Secretarius tum Episcopi Antuerpiensis & eiusdem Ecclesiæ Canonicus, in quem statim multæ Apologiæ Beggam Begginarum fundatricem asserentes euolarunt. Habeo vetustum libellum in quo hæc verba: *anno 1107. multe mulieres contempto saeculo fecerunt congregationes, simul congregantes, & vocabantur Beggina.* Non ignoro Begginarum aduocatos ad similia respondere; ego hisce contentionibus non deseruio, negotium tamquam proposito meo extraneum, in medio relinquens. Hoc solum assero, quidquid de institutione sit, Begginas rectè eam Patronam colere, quod viro orbata vitæ genus Begginarum statui simillimum duxerit.

## DISSERTATIO LXXXVI.

## De Martyrio S. Lamberti.

**D**E exilio S. Lamberti, de reductione dictum est dissertatione 43. nunc de eius Martyrio aliquid agendum. Dignissimus Antistes Sacerdotalibus gratijs ditatus, memor eius de quo S. Paulus Episcopus admonet: Tu verò vigila, in

Q q 2

omnibus